

» investitura illa, quam a duce percipiunt ducatus Venetiarum  
 » praelati, sumpsisset exordium compertum habui antiquissimis  
 » monumentis, ducem Venetiarum olim ex longeva consuetudine,  
 » nedum hujus investiture, sed electionis etiam et confirmationis  
 » prelatorum, a quibus insuper de fidelitate, ut a ceteris laicis,  
 » consueverunt juramentum exigere usque ad tempora Petri Pol-  
 » lani ducis, prerogativam plurimam habuisse. Quo tempore pa-  
 » triarcha gradensis Henricus nomine de stirpe Dandulea, utique  
 » arctioris conscientie vir, dum in electione cujusdam abatisse  
 » sancti Zacharie dux uti vellet solita potestate, se, quibus potuit,  
 » monumentis opposuit, astruens se vindicare velle Ecclesie liber-  
 » tatem. Sicque, ut fieri solet, ex parva scintilla flamma maxima  
 » succrescente, altero pro vetusta ejus honorificentia, altero pro  
 » libertate, ut ponebat, Ecclesie contendente, graves hinc inde  
 » discordie sunt exarte: adeo ut intumescentibus animis et pa-  
 » triarcha ad Romanam curiam pluries personaliter laborante, spi-  
 » rituales processus et interdicta quamplurima contra ducem et  
 » venetos emanarint et e contra temporaliter per eundem ducem  
 » et venetos usque ad exilium et ruinam domorum et publicatio-  
 » nem honorum ipsius patriarche, fratrum, sequaciumque suorum  
 » perventum sit. Cepit autem ipsum dissidium tempore Innocen-  
 » tii pape II, duravitque successive temporibus Celestini, Lucii,  
 » Eugenii successorum suorum, a quibus episcopales littere plu-  
 » rime et quatuor cardinales legati diversis temporibus ad partes  
 » Venetiarum pro sedanda ipsa discordia missi sunt. Interim dux  
 » ipse ab hac luce subtrahitur. Cui successit Dominicus Mauroce-  
 » nus, qui dum ad tuendam consuetudinem patrie modesta animo-  
 » sitate jam vellet insurgere, tandem, illo volente, qui languido-  
 » rum mentes sanat et corpora, ad cujus nutum stat spiritus pro-  
 » cellarum, de coniventia, immo quodam consensu Romane Ec-  
 » clesie iidem dux et patriarcha in rescriptum ex utraque parte  
 » servandum deinceps concorditer et unanimiter consenserunt,  
 » cujus rescripti tenorem cum ab ipsius inelyti ducis incomparabili